

DE TIMÆO PLATONIS
EX PROCLI COMMENTARIIS RESTITUENDO.

Proclus Diadochus et magnae doctrinae gloria et insigni summae virtutis laude aliquando conspicuus quantum rei literariae profuerit, etiam ab iis vel nescitur nonnunquam vel parum curatur, quorum ille studiis magno auxilio et adminiculo esse potuit. Quum enim Platonis adeo fuerit studiosus, ut eum verorum initiorum quibus separatae a terrestribus locis mentes initiantur, quorumque quae felicem beatamque vitam vere consequi cupiunt participes fiunt, quasi ducem et sacerdotem (*προηγεμόνα καὶ ἱεροφάντην*) dicere non dubitaverit (De theol. plat. 1, 1 p. 1 ed. Porti), quumque acutissimo judicio praeditum et grammaticae artis peritissimum eum fuisse et aliunde constet et ex ipsius scriptis facile intelligatur, nemo non videt talis viri judicia et testimonia tam ad explicandam divini philosophi doctrinam quam ad constituendas textus qui vocatur lectiones multum sane conferre posse. Atque quum de lectionibus quidem infra plura sim disputaturus, etiam in philosophia Platonis explicanda Proclum male neglectum esse uno saltem nunc ostendam exemplo.

Vir quidam doctus nec vulgari praeditus ingenii acumine longa dissertatione monstrare nuper conatus Platoni deum esse ideam boni, quemadmodum quae reliqui veterum philosophorum ad obtinendam hanc sententiam docuerunt omisit, ita nec aliorum Procli scriptorum mentionem fecit, neque egregiam illam quamquam mendis quidem non paucis corruptam disputationem, quae inscripta: *περὶ τοῦ ἐν πολιτείᾳ λόγου τοῦ δεικνύντος τί ποτέ ἐστι τἀγαθόν* inter dissertationes

de Platonis rep. penultima est, ullo verbo tetigit. Quam tamen si in usum suum convertere voluisset, non tantum in eorum reprehensionem non incurrisset, quibus vel ante vel post doctum illum virum levibus argumentis contrariam sententiam probare placuit, quamquam non omnia scripta quae hac de re edita sunt comparare mihi potui, sed omnino multo rectius insignem illum locum tractavisset, neque statuendo boni ideam, quam a deo differre non vult, *et cogitatione concipi et vere ac per se extare,* vel: *ideam boni esse ipsum bonum essentia praeditum*, justam reprehensioni ansam praebuisset. Proclus enim cum in universum totam illam doctrinam de ideis, perdifficilem sane, acute pertractat, tum de ea idea boni, quae deus est, aliter esse judicandum quam hodie fieri solet satis perspicuis argumentis luculenter docet.

Sed si quis neque eorum judicium virorum qui Proclum scholae platonicae, quae tum Athenis florebat, praeesse voluerunt agnoscens, neque Marini Suidaeque testimoniis fidem habens, neque editorem commentariorum in Timaeum Portumque curans, quorum alter commentariorum illorum libros *ἁπάσης τῆς φιλοσοφίας τῆς παλαιᾶς θησαυρὸν* esse dicit, alter in praefatione librorum de theologia Platonis a se editorum, »si quis vero,« inquit, »quot in istis Procli doctissimis libris lineae leguntur propemodum tot aureas sententias esse dixerit, superlatione quidem uti videbitur, ab ipsa tamen veritate non procul aberrabit«: si quis igitur ea omnia aspernatus, »prorsus intolerabilem« fortasse judicans, »prolixam loquacitatem, quae legentes non possit non fatigare ac prope enecare, praesertim quum bonus Proclus allegoricae interpretationi perquam insulsae mirifice indulgeat«, Procli merita plane despiciat, qualem tamen despicientiam, quum diversis quidem orta esse possit causis, magnae intelligentiae testimonium esse ego non crediderim; id certe nemo negabit multorum lectionem locorum qualis illis temporibus fuerit ex Procli scriptis erui posse, quae si nihil boni praeterea haberent, vel solam hanc ob causam suam sibi quandam curam recte postularent.

Neque tamen omittendum est Proclum saepe platonica verba sic vel afferre vel orationi suae intexere, ut inde qui veras Platonis lectiones explorare cupit parum utilitatis capere queat. Nam quod logicā Aristotelis scripta facillime edidicisse fertur (ῥᾷστα ἐξεμάνθανε Marin.), id si scripta ipsius confero eo me adducit, ut credam Platonis opera adeo ei fuisse familiaria, ut si non raro hic

illeve locus adducendus esset in universum sententias potius quam singula verba curans libris non inspectis ex memoria quae necessaria viderentur adscripserit; inde autem factum est ut et a semet ipso non raro dissentiret, et ab ipsius Platonis verbis longius recessisse saepe putandus sit. Rem exemplis quibusdam illustrabo.

Quae verba apud Platonem in Timaeo p. 41 B hodie leguntur sic: *τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων οἷς ὅτ᾽ ἐγίγνεσθε ξυνεδεῖσθε* ea in commentario ad Tim. p. 144, 3 afferuntur sic: *τῆς ἐμῆς βουλήσεως φησὶ, μείζονος δεσμοῦ, καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς ὅτε ἐγίγνεσθε σύνεδεῖσθε* (sic), et in schol. ad Cratyl. §. 97 extr.: *τῆς ἐμ. φησὶ βουλ. μείζονος ἔτι καὶ κυριωτέρου δεσμοῦ λαχ. ἐκ.;* nihilo tamen secius certum est Proclum, praeterquam quod vocabuli *ὅτε* extremam syllabam non elisisse et pro *ξυνεδ.* habuisse videtur *συνεδ.*, plane sic legisse ut est in Bekkeri editione. Quae p. 42 E leguntur sic: *ἔμενεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ κατὰ τρόπον ἤθει* ea orationi suae intexens in comm. ad Tim. p. 336, 19 profert sic: *εἰ ἐκεῖνος ἐν τῷ ἑαυτοῦ κατὰ τρόπον ἤθει τελέως ἵδρυσεν ἑαυτόν;* in libris de theol. Plat. 5, 18 p. 283, 6 a f. *μένειν που φησὶ* (sic) *τὸν πατέρα τοῦ παντὸς ἐν τῷ ἑαυτοῦ κ. τρ. ἤ.* c. 20 p. 290, 2: *καὶ μένων ἐν τῷ αὑτοῦ κ. τρ. ἤ.* c. 39 p. 333, 13 a f.: *καὶ ἐν τῷ ἑαυτοῦ μένει κ. τρ. ἤ.* libr. 6, 7 p. 358, 11 *ἐπιστρέφει πάντα πρὸς ἑαυτὸν μένων ἐν τῷ ἑαυτοῦ κ. τρ. ἤ.* c. 19, p. 397, 24: *εἰς ταὐτὸν ἄξομεν τῷ πάντων ἐξῃρημένῳ καὶ ἐν τῷ αὑτοῦ μένοντι κ. τρ. ἤ.;* in schol. ad Cratyl. §. 97 p. 54 *μένων αὐτὸς ἐν τῷ ἑαυτοῦ κ. τρ. ἤ.* Non recte aliquis ex hac discrepantia colligeret Proclum aliter ea verba legisse quam in Bekkeri editione habentur. Libri de theologia Platonis pleni sunt locorum platonicorum minus accurate allatorum, ut eorum usus magnam habeat cautionem, tantummodo enim quae accurate se citare ipse indicat eam lectionem continere putanda sunt, quam re vera probavit. Decantata illa sententia *τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν* (Plat. Tim. p. 28 C) in opere de theol. Plat. affertur libro 4, 11 p. 198, 7. lib. 5, 20 p. 290, 28. ib. c. 28 init. et singula ejus verba eo capite saepe recurrunt, sed omnibus his locis memoriter citatur, contra lib. 5, 19 in. p. 275 extr. facile intelligitur accurate eam tradi, quumque ibi ceterum a verbis supra positis non recedens pro *πάντας* Proclus praebeat *ἅπαντας* sic re vera eum legisse pro certo affirmandum est, quae quidem lectio etiam in reliquis locis omnibus quos indicavi et in commentario in Tim. servatur.

Sed nobilis haec negligentia nemini incognita est; alia autem Chalcidii causa est, ejus enim in latina Timaei interpretatione incuria et imbecillitas tanta est, ut inde qui vel ad explicandum vel ad corrigendum Platonis textum aliquid utilitatis habiturum se opinatur valde fallatur.

Jam autem misso Chalcidio, quem ne verbo quidem tetigissem nisi versio ejus vulgo minus esset nota, ad Procli commentarium in Timaeum me convertam, cujus ratio ea est, ut, quum quinque libris Timaeum ab initio usque ad verba *πορευομένοις διεξιτέον* (p. 44 D) complectatur, tota paene ea textus platonici pars ad quam respicit, maxime vero quae quattuor posterioribus libris tractatur, qualem auctor habuit erui inde possit. Qua tamen ex re editores Timaei adhuc non multum utilitatis cepisse infra fortasse intelligetur, quamquam fatendum est usum ejus commentarii in magnis esse difficultatibus, quarum prima est, quod exemplaria non sane multa reperiuntur libri semel tantum et ante tria saecula impressi. Plane enim ut Eberto et Theoph. Georgio in indicibus librorum impressorum et Gundlingio, qui tamen in eo fallitur quod Marsilium Ficinum editorem esse tradit in collegio historico-literario p. 887, una mihi tantum editio commentarii in Timaeum cognita est, eaque prodiit Basileae ap. Jo. Valderum anno 1534 fol. una cum Platonis operibus. Non incognitum mihi quidem est Fabricium in Bibliotheca graeca t. 8 p. 524 (ed. anni 1717) tradere etiam Henrici Petri editioni Platonis (Basil. 1556 fol.) additum esse Procli commentarium, sed quamquam eam editionem nondum vidi, non tamen dubito quin falsus sit Fabricius, qui t. II. p. 33 Henrici Petri editione Platonis »exceptis Procli commentariis Valderianam exprimi« dicit, qua in re cum eo consentit Ebertus. Nuperus Timaei editor de Procli opere disputans »prodiit autem« inquit »sic inscriptum: Procli Commentarius in Timaeum Basil. 1534 fol. Accessit etiam editioni Operum Platonicorum Basileensi secundae, s. Valderianae.« Velim accurate indicasset de duabusne an de una disputaverit editione, quumque non esset credibile uno anno Procli, cujus apographum tantum Grynaeus videtur habuisse, Basileae duas prodiisse editiones saltem officina et si fieri potuit mensis et dies perfecti operis indicandus fuit; nunc, quum editor et hujus rei curam abjecerit et in universum Procli commentario parum accurate usus sit, ne mihi succenseat extare ejusmodi peculiarem editionem nullo modo credenti. Res enim haud dubie haec est: et in titulo et in Grynaei praefatione

supra significatae editionis Valderianae indicatur simul cum Platone Procli commentarium in Timaeum et in Politica in lucem emitti, itaque eadem pagina Platonicorum operum index finitur qua incipit Procleorum, sequitur ordo chartarum omnium, tam earum quae Platonem quam quae Proclum continent, absoluto deinde Platone Procli sequuntur commentarii suis paginarum numeris insigniti et novo titulo instructi hoc: *Εἰς τὸν τοῦ Πλάτωνος Τίμαιον ὑπομνημάτων Πρόκλου βιβ. ε. ἁπάσης φιλοσοφίας τῆς παλαιᾶς θησαυρός. καὶ εἰς τὴν τοῦ αὐτοῦ πολιτικὴν χαλεπωτέρων ζητημάτων ἁπάντων ἐξήγησις. ἔργον ὑπέροχον.* Horum deinde addita est interpretatio latina; locus et annus editionis in titulo indicatus non est, sed in fine graeca oratione exponitur impressum esse opus Basil. ap. Jo. Vald. anno 1534 addito etiam die *θαργηλιῶνος τρισκαιδεκάτῃ* (in fine praefationis est: »Basileae, Calend. Martii, An. M.D.XXXIIII.«). Hinc bibliopego fortasse cuidam alteram Basileensem Procli editionem deberi conjicio.

Sed restat suspicio quaedam non unam nec duas sed tres vel plures etiam esse Basileenses Procli editiones. Satis magnum enim additamentum Scholiorum in Platonis Timaeum in Berolinensi et in Londinensi et in Turicensi Platonicorum operum editione his infertur verbis: »Non aliena fortasse ab hoc loco, quae codex Paris. Reg. 1832 (f. 37. r. — 46. v.) habet pro illis Procli (ed. Basil. prim. p. 374, 33—388, 19) *ὅλοις τὴν αὐτὴν — εἰσὶν αἱ ἰδιότητες.*« Hinc igitur qui colligeret minimum tres esse Basileenses Procli editiones certe verba supra posita male explicavisse dici non posset, et quod in Valderiana editione commentarius in Timaeum p. 348 finitur indeque usque ad p. 433 dissertationes de Politia leguntur, tantum eo videtur valere ut intelligatur non primam illam esse editionem sed vel secundam, vel tertiam; quamquam quae sint vel possint esse reliquae editiones, ne conjectura quidem ulla assequi possum, siquidem et altera illa anni 1534 editio quaeque anno 1556 prodiisse fertur errori haud dubie debentur, et qui Valderiana antiquiorem vel omnino aliam quam de quibus disputatum est novisse se dixerit, quantum ego scio, extitit nemo, et Sim. Grynaeus tantum non ad verbum a se primo Procli illa scripta in lucem emitti dicit, quem virum eo tempore diutius jam graecarum literarum Basileae professorem et ob doctrinam morumque probitatem a summis viris maximis honoribus dignum habitum vel ridiculae inscitiae vel fraudis etiam accusare, ne quid gravius dicam, permagnae esset temeritatis. Quid autem quod verba

3*

graeca ad definiendum Procli locum supra scripta re vera indicatis paginis editionis Valderianae leguntur? quamquam quae posteriore loco allata sunt pagina indicata non lin. 19 sed lin. 20 inveniuntur. Sed ea verba, quod ex indicato paginarum ordine facile intelligitur, non in commentario ad Timaeum sed in dissertationibus ad Politiam (sexta et sexta decima) leguntur, et non tantum dissertationis sed ne periodi quidem ullius vel initium vel finem efficiunt. In omnibus autem supra indicatis undecim dissertationibus Proclus sententiis quibusdam a Platone in Politiae libro secundo et tertio propositis commotus de variis rebus Homeri deos et heroes attingentibus disputat; itaque additamentum illud tam initio quam fine carens cujus auctor, quamquam aliorum etiam Platonicorum placita in judicium vocat, maxime tamen in Proclo reprehendit quod mundum *ἄφθαρτον* dixerit putaveritque Platonem quintum statuisse elementum, quomodo pro Procleis illis dari potuerit plane non capio. Ceterum quas sententias impugnat additamenti auctor eae apud Proclum saepius inveniuntur, velut in prooemio commentarii p. 3, in ipso commentario p. 88 seq. p. 152—157. non tamen hos ipsos locos spectari ab eo dico. Jam si quaeris benevole lector, quid ex tota hac disputatione lucratus sis, unice hoc intellectum velim ne sic quidem sequi praeter Valderianam ullam aliam extare Proclei commentarii in Timaeum editionem. Si autem mirari subit, quomodo tantus vir tantam errorum turbam ciere potuerit, ego quidem causam afferre possum nullam; hoc autem scio jam Morhofium (in Polyhist. phil. 1, 7, 5 p. 36) dixisse Procli dissertationes in Platonis remp. graece nondum esse editas, eumque errorem nostra etiam aetate in libro cujus non nulla est auctoritas esse recoctum; rectius ea de re judicavit Fabricius in Bibl. gr. t. 8 p. 526 seq.

Ebertus in libro supra dicto a Th. Tayloro Anglo commentarium Procli in Timaeum in anglicam linguam translatum Londini 1820 duobus voluminibus prodiisse eumque librum et ad corrigendum et ad explicandum Procli textum multum conferre tradidit; ego quidem neque hanc versionem unquam vidi, neque Parisinae editionis Procli accuratiorem habeo notitiam. Etiam alios libros quamvis optatos velut Procli commentarium in Parmenidem, vel omnino vel commodo certe tempore habere non potui.

Quod ipsae res de quibus disputat Proclus plerumque acerrimam animi intentionem requirunt, quodque oratio ejus nec vario fuco libera et plena ver-

bis vel recens factis vel peculiari quodam modo adhibitis, quorum aptam explicationem eo magis frustra in lexicis quaeras, quum non pauca omnino omissa sint, saepe tam magnas tamque contortas sententiarum habet continuationes, ut facile lector fatigetur taedioque afficiatur, non propria commentarii in Timaeum, sed vel omnium vel multorum certe Procli scriptorum communis quaedam difficultas est. Hoc autem singulare quoddam legendi commentarii illius impedimentum est, quod Valderiana editio ut multis fortasse locis typothetarum incuria ita non paucis retenta codicis lectione quot et quantis vitiis deformata sit dici vix potest. Quorum vitiorum magna illa pars quae ex prava pronuntiatione orta est satis facilem habere solet correctionem, velut ubi pro *παράδειγμα, δή, διατείνει, ἀφήγησις, κεχωρισμένα, προφερόμενα* positum est *παράδηγμα, δεῖ, διατίνει, ἀφήγυσις, καιχωρισμένα, προφερώμενα.* Ejusdem generis quamquam non difficillima quidem sed quae morari tamen lectorem possint sunt haec: p. 86, 18 *ὄντως* pro *ὄντος;* p. 75, 17 *ὄντος* pro *ὄντως;* p. 145, 3 *κατὰ φύσιν* pro *καθά φησιν;* p. 238 lib. 4 in. *καθοίσιν* pro *καθώς τισιν* vel *καθά τισιν.* Sed non facile ullum peccandi genus excogitari poterit cujus antiqua illa editio non habeat exempla satis multa; p. 68, 12 est *ἔδοξα* pro *ἡ δόξα;* p. 70, 4 *τοῦτ᾽ ἔστιν* pro *τοῦ τί ἔστιν;* p. 200, 30 *χρυσαιοραγείρετο* pro *χρυσάορα γείνατο;* p. 222, 27 *δακτύλους δε̄* pro *δακτ. δὲ ε̄;* in magnis illis computationibus quae inde a p. 193 ad Plat. Tim. p. 35 B. respiciunt signorum arithmeticorum magna copia corrupta est.

Nonnunquam satis scitae inveniuntur correctiones vel in marginae positae vel in textum receptae et parvis crucibus indicatae. Nonnunquam pravae lectiones infelicius tentantur ut p. 280 ubi quum in lemmate ex Plat. Tim. p. 40 B. C. desumpto legatur *ἰλλουμένην δὲ περί τὸν διαπαντὸς* (sic) *πόλον τεταγμένον,* margo habet *εἰλουμένην,* ipsum autem Proclum habuisse *ἰλλομένην* Ruhnkenius in nota ad Tim. lex. p. 69 seq. ex commentario probavit. Ex eodem fonte intelligi potest etiam *τεταγμένον* esse corruptum, quamquam haec lectio et in Platonis et in Aristotelis (de coel. 2, 13 p. 293. b. 31. §. 75 ant. ed.) codd. quibusdam invenitur, sed Proclus eam non probavit, cui neque a Ruhnkenio neque a Buttmanno neque ab editoribus Timaei satis allatum esse auxilii alio fortasse et loco et tempore demonstrabitur; nunc propterea hoc potissimum exemplo usus sum, quod simul docet discrepare nonnunquam lemmata ab explicationi-

bus, cujus rei aliud et satis grave exemplum accipe hoc. In lemmate enim quod p. 157 ad Platonis verba p. 32 D seq. respicit ut de levioribus aliis taceam pro *κατανοῶν ὡς ἃ ξυνιστᾷ τὰ σώματα*, ut Bekkerus edidit, legitur: *κατανοῶν ὡς ξυνιστὰν τῷ σώματι;* in ipso commentario explicatis aliis quibusdam (singula verbis *τὸ μὲν — τὸ δέ* illata sunt) p. 158, 5 a f. pergit sic: *καὶ τοῦτο μὲν τοιοῦτον, τὸ δὲ συστατὸν σῶμα, τὸ σύνθετόν ἐστι, καὶ ἑτεροκίνητον. τὸ μὲν οὖν αὐτοκίνητον, ἑαυτοῦ σωστικόν, τὸ δὲ ἑτεροκίνητον, δεῖται τοῦ μὴ ἐνοχλεῖσθαι παρ' ἄλλων διαφερόντως. τὸ δὲ πᾶν καθὸ σῶμα ἑτεροκίνητόν ἐστι. τὸ δὲ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ὡς δραστήρια παρέλαβε κ. τ. ἑ.* Deinde p. 159, 5. *λέγει δὲ τὸν κόσμον ὑπ' αὐτῷ πείσεσθαι περιεστώτων πάσχειν* (corrupta haec sunt, sententia tamen videtur esse fere haec: dicit Plato passurum esse mundum per circumstantia, et, sic ut si ex calidis et frigidis sit factus, per haec si circumstent patiatur etc.; sed necessarium erit benevole lector ut Proclum ipsum consulas cujus totum locum ob certas quasdam causas describere hic non possum), *καὶ εἰ μὲν ἐκ θερμῶν εἴη καὶ ψυχρῶν ὑπὸ τούτων, εἰ δὲ ἐξ ἄλλων ἐχόντων δυνάμεις ἰσχυρὰς, ὑπ' ἐκείνων. εἴτε γὰρ ἐναντία εἴη τοῖς ἐξ ὧν ἐστι, διότι ἐναντίον, φθίνειν ποιεῖ τὸ συστατὸν, ᾧ προςπίπτει. εἴτε ὅμοια, λύει τὸν λόγον, καθ' ὃν συνέστη προςκρινόμενα τοῖς ἐν αὐτῷ ὁμοίοις. παντὸς οὖν συστατοῦ λέγων, εἰκότως ὡς γνωρίμων πᾶσι καὶ θερμῶν ἐμνήσθη καὶ ψυχρῶν. ἔστι γὰρ τι* (sic) *συστατὸν καὶ ἐκ τούτων καὶ πᾶσι γνώριμον. διὸ καὶ ὡς γνώριμον* (sic) *τούτων ἐμνημόνευσεν. ἐπειδὴ δὲ οὐ πᾶν συστατὸν ἐκ τούτων, προςέθηκε καθόλου λοιπόν, καὶ ὅσα δυνάμεις ἰσχυρὰς ἔχει.* Ex his sequi mihi videtur Proclum non *ξυνιστάν*, sed aliquem casum adjectivi *συστατός* legisse eodemque casu habuisse substantivum *σῶμα* addito item eodem casu adjectivi *πᾶς*. Ex terminatione autem corrupti *ξυνιστᾶν* quod non pauci libri ms. habent, vel *ξυνιστὰν* quod hic in lemmate habemus suspicor Proclum habuisse *πᾶν*, unde statuendum videtur totum locum sic fuisse comparatum: *κατανοῶν ὡς συστατὸν πᾶν σῶμα θερμὰ καὶ ψυχρά.* In Procli explicatione non nimis erit durum putare ante *παντὸς οὖν συστατοῦ* excidisse *περί* praepositionem. Ceterum si haec cum editorum et novissimi interpretis germanici notis conferes facile judicabis quam recte ii Proclum legisse videantur.

Sed dissensionum illarum genus unde originem traxerit ego quidem nescio, inanibus autem conjecturis te non morabor benevole lector; itaque paucis quibusdam sed continuis exemplis quid Procli commentarius de Platonis textu

quem vocant docere possit ita demonstrabo, ut singula lemmata ex ordine pervestigans et quid discrepent a Bekkeri lectionibus, confero autem londinensem editionem, accurate significem, et quantum necessarium videatur ex commenterio ipso addam, in quibus omnibus tamen unice id sum acturus, ut quid Proclus legisse existimandus sit quantum possit eluceat; quid inde vel de editorum diligentia vel de codicum fide judicandum videatur ipse statues. Eam in rem usurus sum initio secundi libri commentariorum, qui liber pertinet ad Platonis verba: *Ἀλλ' ὦ Σώκρατες* (p. 27 C) et quae sequuntur usque ad verba *ἔστι τέ καὶ ἔτ' ἔσται* (p. 31 B). Singulorum lemmatum ubi, ut solent, signis in margine positis notata sunt tantum paginas, ubi desunt signa etiam lineas indicabo.

Lemma 1 p. 66 continet verba *ἀλλ'ὦ—καλοῦσιν.* p. 27 C. Comma post *ἀλλ'* recte omittitur, non enim intra syllabam distinctionis signo locus est, omittitur etiam comma post *μετεχ.*, et desunt verba *καὶ μεγάλου* ante *πράγματος*. Haec verba Proclum re vera non legisse intelligitur ex commentario p. 66, 14. 42 et lin. ult. quibus locis a lemmate non recedens affert verba *ἐπὶ παντὸς ὁρμ. κ. σμ. πρ.* ommissis *καὶ μεγάλου*. Quod lin. 14 legitur: *ἐπειδὴ δὲ πάντας τοὺς κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχοντας,* nemimem adducet ut credat Proclum *καί* ante *κατά* non habuisse.

Lemma 2 p. 66 continet verba *ἡμᾶς — παραλλάττομεν.* p. 27 C. *Πη* sic sine *ι*; comma post *μέλλοντας* deest, deinde: *ἢ γέγονεν ἢ καὶ εἰ ἀγενές*. Quod in explicatione p. 67, 10 dicit Proclus: *λέγει γὰρ τοὺς περὶ παντὸς λόγους ποιεῖσθαί πη μέλλοντας* omisso ante *παντός* articulo, suspicionem nullam movebit, cf. etiam sequentia, nec majoris momenti est, quod particula *πή* sine *ι* scribitur, in talibus enim Valderianae editioni fides nulla habenda est, de ipsa re autem cf. Buttm. Gr. maj. t. 2. p. 284; Schneid. praef. ad Plat. Civ. vol. 1. p. LXI; Rost. Gramm. ed. VI p. 341. Gravior autem de hoc loco existit quaestio haec: postquam enim Proclus de explicatione particulae *πή* disputavit, docuitque eam ad certas *τῶν λόγων διαφορὰς* respicere, quae quales sint uberius eo loco exponitur, p. 67, 23 pergit sic: *πάλιν τοίνυν τὸ ἢ γέγονεν ἢ ἀγενές ἐστιν, οἱ μὲν ἐξηγήσαντο, τὸ μὲν πρότερον καὶ* (leg. *ῆ*) *δασύνοντες* (leg. *δασύναντ.*), *τὸ δὲ δεύτερον ψιλώσαντες, ὅσοι φασὶν αὐτὸν ἐρεῖν περὶ τοῦ παντὸς, καθ' ὅσον γέγονεν ἀπ' αἰτίας, ἢ καὶ ἀγενές ἐστιν* (deest interpunctio) *ἵνα γενόμενον αὐτὸ θεωρήσαντες, τὴν ἐν αὐτῷ φύσιν κατίδωμεν. καὶ ὅ γε πλατωνικὸς Ἀλβῖνος ἀξιοῖ κατὰ*

Πλάτωνα τὸν κόσμον ἀγένητον ὄντα, γενέσεως ἔχειν ἀρχήν, ὃ καὶ πλεονάζει τοῦ ὄντος (haec postrema fortasse corrupta putanda non sunt, sin aliter statuendum videtur correctio in promtu est). *ἐκείνου μὲν ἀεὶ ὄντος, τοῦ δὲ κόσμου πρὸς τῷ ἀεὶ εἶναι, καὶ γενέσεως ἔχοντος ἀρχὴν, ἵν' ᾖ καὶ ἀεὶ ὢν καὶ γενητός.* Deinde monstratur peccare hos, quum nusquam Plato in sequentibus dixerit: *πῶς μὲν γενητὸν, πῶς δὲ ἀγενὲς τὸ πᾶν* (lin. 32). Sequuntur lin. 33 haec: *οἱ δὲ ἀμφότερα ἐδάσυναν, ἵνα λέγῃ, ποιήσεσθαι τοὺς περὶ τοῦ παντὸς λόγους, ᾗ γέγονεν, ᾗ ἀγενές ἐστι, τὰ αὐτὰ τοῖς πρὸ αὐτῶν ἁμαρτάνοντες, εἰ μὴ οὐχ ὡς λέγοιεν γεγονὸς καὶ ἀγένητον τὸ πᾶν* (vitii aliquid in his latet, sententia tamen videtur esse fere haec: eo hi quidem minus peccant quam superiores, quod non expressis verbis ponunt utrumque cadere in *τὸ πᾶν*). *κατὰ μὲν τὸ εἶδος, γεγονός, κατὰ δὲ τὴν τιθήνην ἀγένητον. οὕτω γὰρ καὶ ὁ Τίμαιος ἐρεῖ, τὴν μὲν ἀγένητον εἶναι, τὸν δὲ κόσμον γενητὸν ὡς ἀπὸ τοῦ θεοῦ τὸ εἶδος δεξάμενον* (haec fortasse non sunt corrupta. cf. Plat. Tim. p. 49 A. p. 52). *Πορφύριος δὲ καὶ Ἰάμβλιχος ἀμφότεροι* (leg. *ἀμφότερον*) *ψιλοῦσιν, ἵνα ᾖ τὸ λεγόμενον, πότερον γεγονέναι* (leg. *γέγονεν*) *τὸ πᾶν, ἢ ἀγενές ἐστι. τοῦτο γὰρ ἐπισκέψεσθαι* (sic) *πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων. καὶ γὰρ μεγίστην ἐν τῇ ὅλῃ φυσιολογίᾳ παρέχεται συντέλειαν ὀρθῶς ὑποτεθὲν ἢ γενητὸν ἢ ἀγένητον εἶναι τὸν κόσμον.* Denique haec omnis disputatio concluditur (lin. 15 a fin.) sic: *ἔσονται ἄρα οἱ λόγοι περὶ τοῦ παντὸς διδασκαλίας ἕνεκα* (his respicit ad *πῄ*) *προϊόντες ἀπ' ἀρχῆς ὁρμώμενοι ταύτης, εἴτε γέγονεν ὁ κόσμος εἴτε ἀγένητός ἐστι.*

Ex his intelligitur Proclum probasse lectionem *ᾗ — ᾗ, εἰ* autem quod in lemmate ante *ἀγενές* esse dictum est ab eo non agnosci, quamquam hoc quidem non magni momenti est, sed intelligitur etiam quoties vel ipsa verba quae post *μέλλοντας* sequuntur afferat vel sententiam eorum repetat, toties eum omittere *καὶ* quod in vulgatis est ante *ἀγενές,* excepto uno eo loco quo eorum sententiam exponit, qui *τὸ πᾶν* et *γενητόν* et *ἀγενές* esse statuerunt, quam quomodo rejicere potuit si illud *καὶ* in textu habuit? aut si habuit, quomodo de explicatione hujus particulae tacere potuit? Plane mihi persuasum est nec Proclum hanc particulam legisse et a Platonis mente alienam eam esse et fontem unde in Platonis textum manaverit Procli verbis satis esse indicatum. Qui mecum consentire non volent, hoc habento satis fragile ut mihi quidem videtur adminiculum quod Procl. p. 84, 25 dicit: *ἐν τοῖς πρὸ τῶν ὑποθέσεων λογοις*

εἰπεν. ὅτι δεῖ περὶ τοῦ παντὸς ἡμᾶς μέλλοντας λέγειν, εἰ γέγονεν, ἢ καὶ ἀγένητός ἐστι, θεούς παρασαλεῖν (sic) καὶ θεάς. Ad intelligendum locum quod attinet unum illud moneo, causam esse nullam cur statuas Porphyrium et Jamblichum et Proclum tam hebetes fuisse ut nesciverint, quid sit discriminis inter ἤ—ἤ et πότερον—ἤ.

Lemma 3 p. 67 pr. f. (signa parum accurate sunt posita) continet verba: ἀνάγκη — εἰπεῖν p. 27 C. Post ἐπικαλ. et post νοῦν commatis interpunctum est, deinde: δ' ἡμῖν, sed eadem p. lin. 8 a f. plene scriptum est δὲ ἡμ.

Lemma 4 p. 68 continet verba: καὶ τὰ μὲν — ἐνδειξαίμην p. 27 D. Post θεῶν et post παρακεκλ. commatis interpunctum est, post παρακλητέον interpunctio nulla; ταῦθη *) pro ταύτῃ; ἧ utroque loco sic sine ι subscr.; δὲ ἡμ. plene scriptum; μάθητε pro μάθοιτε; μάλιστα περί omisso ἄν.

Lemma 5 p. 68 lin. 18 a fin. totum hoc est: ἔστιν οὖν δὴ κατά γε ἐμὴν δόξαν, πρότερον διαιρετέον τάδε. p. 27 D. Bekk.: κατ' ἐμὴν δ. πρῶτον.

Lemma 6 p. 69 lin. 5 a fin. continet verba: τί τὸ — οὐδέποτε. p. 27 D. ἔχων pro ἔχον, deinde: τὶ τὸ γενόμενον μὲν, ὄν. P. 74, 8 et 84, 27 hunc locum afferens eo tantum a Bekkeriana editione recedit, quod post γιγνόμενον verba μὲν ἀεί omittit; in quo, ut de reliquis taceam, vocabuli μέν praetermissio fortasse non magni facienda; legisse autem Proclum non γενόμενον sed γιγνόμενον non hi tantum loci me adducunt ut credam, sed illud etiam quod in explicatione quae supra indicato lemmati addita est paene semper hac forma utitur. Sed posterius ἀεί male nuper Platonis verbis additum esse Proclus ita docet ut simul et causam cur a quibusdam illatum sit intelligamus, et de tempore orti additamenti conjecturam facere possimus; verba ejus (p. 71, 8 a f.) haec sunt: διατὶ (sic) οὖν φασὶ μὴ προσέθηκε, τὸ ἀεὶ καὶ τὸ γιγνόμενον, ὥσπερ τὸ ὂν (legendum videtur: τῷ γιγν. ὥσπερ τῷ ὄν), ἢ τὸ, ποτέ, ἵνα κατὰ πᾶν πρὸς τὸ ἀεὶ ὂν ἀντιθέτως ἔχῃ. ἢ τοῦτο πρὸς τὴν φύσιν τοῦ γιγνομένου ποικίλην οὖσαν ὁ Πλάτων ἀπιδὼν ἐμηχανήσατο, καὶ τὸ ποτέ, καὶ τὸ ἀεὶ τοῦ γιγνομένου περιελών. τὰ μὲν γὰρ ὅλα γίγνεται ἀεί, τὰ δὲ μέρη ποτέ κ. τ. λ. In φασί subjectum videtur esse οἱ παλαιοί, quod si recte statuo jam diu ante Procli aetatem interpretes corruptelae ansam praebuisse intelligimus, si minus, Procli aequalibus haec laus

*) Talia tantummodo enoto nequid omissum videatur.

debetur. Si quis etiam prius *ἀεί* impugnare cupiat, is ut meliora doceatur legat Procli comment. p. 73, 13 seq.

LEMMA 7 p. 73 continet verba: *τὸ μὲν δὴ — — οὐδέποτε ὄν.* p. 27 D et 28 A. Pro *κατὰ ταὐτὰ ὄν, τὸ δ' αὖ δόξῃ* legitur: *κατὰ τὰ αὐτὰ ὄν, καὶ τοῦ γιγνομένου δόξῃ.* Verba *κ. τοῦ γιγν.* Proclum non habuisse explicatio quae sequitur reliqua omnia satis firmans aperte docet, sed quid eorum loco habuerit non docemur, neque id miremur, statim enim ab initio explicatio manca est, ut apertum sit aliqua corruptione hunc locum affectum esse, nihilo tamen secius digna Procli disputatio est quae legatur.

LEMMA 8 p. 79 continet verba: *πᾶν δὲ—σχεῖν* p. 28 A. Pro *αὖ τὸ* male *αὐτό;* post *γιγνόμ.* commate, post *γίγνεσθ.* puncto distinctum est.

LEMMA 9 p. 81 continet verba *ὅτου μὲν — οὐ καλόν.* p. 28 A et B. Pro *ὅτου* est *οτου; οὖν* omissum est, neque ejus particulae in explicatione certum comparet vestigium, omittitur etiam p. 95, 16 ubi habes haec: *ὅτου μὲν ἂν ὁ δημιουργὸς, καὶ τὰ ἑξῆς τούτων.* Vocabulum *ἀεί* commate a *βλέπων* sejungitur, sed p. 83, 28 seq. exponitur jungendum esse cum antcd. maxime cum verbis *κατὰ ταυτὰ ἔχον.* Deinde legitur: *προςχόμενος παραδειγματικὴν ἰδέαν κ. τ. δύναμην* (sic) *αὐτοῦ ἀπεργάζεται — πᾶν, οὐδ' ἂν εἰς τὸ γενὸς* (sic) *γενητῷ.* Alia ex his in explicatione nullam habent correctionem, neque magnopere ea egent, alia corriguntur p. 83, 22 his: *διὸ καὶ τὶ* (leg. *διότι καὶ*) *τὴν ἰδέαν ἐκάλεσεν, ἐξομοιῶν τῷ παραδείγματι τὸ γενόμενον.* et lin. 24: *διὰ τί δὲ ἐπὶ μὲν τοῦ ἀεὶ ὄντος τοιούτῳ φησὶ παραδείγματι χρώμενος, ἐπὶ δὲ τοῦ γεγονότος οὐκ ἔτι τοιοῦτον προςέθηκεν, ἀλλ' ἀντὶ τούτου τὸ γενητὸν ἐπήγαγεν.* Post *τοιούτῳ* habere se *τινί* in antcd. aperte Proclus ostendit. In dissert. ad Polit. p. 379, 12 a f. hic locus affertur sic: *ὅτου γὰρ ἂν εἴη ὁ δημιουργὸς, εἰς τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχον βλέπων ἀεὶ τὴν ἰδέαν καὶ τὴν δύναμιν, ἀπεργάζηται καλὸν ἀξανάγκης* (sic), *οὕτως ἀποτελεῖσθαι πᾶν ὡς ὁ Τιμαιός φησι. οὕτω* (sic) *δὲ ἂν εἰς γενὸς* (sic) *γενητῷ παραδείγματι προςχρώμενος οὐ καλόν.* Singula quae in his sunt vitia percenseri necesse non est.

LEMMA 10 p. 83 continet verba: *ὁ δὴ πᾶς — ὠνομάσθω* p. 28 B. Omisso *καὶ ἄλλο* et *ἂν* legitur *ἢ ὅτι ποτὲ ὀνομ. μάλιστα,* deinde plene *τοῦτο,* denique *ὀνομάσθω.* Omissorum *καί* et *ἂν* in explicatione vestigium non invenio; legisse autem Proclum *ἀλλ' ὅ,τι* ex p. 83, 12 a f. concludi licet, verba ibi sunt haec: *ὁ πᾶς οὐρανὸς— —ὀνομάσθω* (sic) *ἡμῖν ὁ κόσμος, ἢ ἀλλ' ὅτί ποτε ὀνομαζόμενος*

χαίροι. Quod p. 84, 11 dicit: *τὸ γὰρ ὅτι ποτὲ καὶ τὸ δέχοιτο λανθάνων, ὕμνος ἐστὶ κ. τ. ἑ.* non magni momenti est. Affertur hic locus etiam in additamento Scholiorum in Tim. de quo supra dixi p. 96 ed. Londin. ubi pro *δὴ* est *δὲ*, reliqua a Bekkeri lectione non recedunt.

Lemma 11 p. 84 continet verba *σκεπτέον—σκοπεῖν* p. 28 B. Omittitur *δ'* ante *οὖν* neque ejus particulae in explicatione fit mentio, non tamen hinc recte colligi potest Proclum re vera eam non habuisse, sed haud dubie vel qui codicem scripsit vel typotheta vitium commisit. Pro *ὅ περ* legitur uno verbo *ὅπερ.*

Lemma 12 p. 84 lin. 14 a f. continet verba: *πότερον—ἀρξάμενος.* p. 28 B. Post *τινος* quod accentus signum non accepit commate interpunctum est, sed contra Procli sententiam v. p. 87, 19 a f. seq. Post *γέγονεν* distinctum non est.

Lemma 13 p. 86 lin. 14 a f. continet verba: *γέγονεν—ἐφάνη* p. 28 B et C. Post *γέγονεν* puncto distinctum est, item post *ἔχων* et ante *τὰ δέ,* deinde *ἅπαντα* pro *πάντα, δόξῃ* sic sine *ι, μετ' αἰσθήσεως* omisso commate quod proxime sequitur, denique *γενητά* uno *ν.*

Lemma 14 p. 90 continet verba: *τῷ δ' αὖ—γενέσθαι* p. 28 C. Pro *αὖ* legitur *ἄν,* et post *φαμὲν* commate distinctum est.

Lemma 15 p. 91 continet verba: *τὸν μὲν οὖν — λέγειν* p. 28 C. Post *οὖν* commate distinctum est, item post *παντός* et post *ἔργον,* pro *πάντας* legitur *ἅπαντας,* sic etiam p. 94, 17 a f. p. 105, 14 a f.; ibid. lin. 17 a f. est *πάντας* et p. 286, 21 est *ἅπαντα,* cf. quae supra de h. l. dicta sunt.

Lemma 16 p. 97 continet verba *τόδε δ' οὖν—πρὸς τὸ γεγονός* p. 28 C. Initio pro *τόδε δ' οὖν* est *τὸ δ' αὖ,* comma post *αὐτοῦ* omittitur, pro *τεκταινόμ.* est *τεκτηνάμ.,* deinde *ταυτὰ,* post *ἔχον* commate distinctum est. Primam illam discrepantiam vel typothetae vel scribae vitiis annumerandam esse facile intelligitur, merum enim illud *τὸ* cum sermonis usu aegre conciliatur, et *αὖ* si re vera Proclus habuisset in singulorum verborum explicatione (p. 99, 6 a f.) eo minus omissum esset, quod de *πάλιν* disputatur. Sed in participio aoristi *τεκτηνάμενος* genuinam habemus Procli lectionem quae et in singulorum explicatione recurrit et p. 70 invenitur ubi lin. 20 a f. verba *πρὸς πότερον — τὸ γεγονός* prorsus sic afferuntur ut sunt in lemmate.

Lemma 17 p. 100 continet verba: *εἰ μὲν δὴ — πρὸς τὸ γεγονός* p. 29 A. Pro *ὅδε ὁ κόσμος* legitur *ὁ κόσμ. ὅδε* addito post *ὅδε* commate, post *ἔβλεπεν*

comma positum est, pro μηδ' est μὴ δ', ante γεγονός articulus omissus est, recte ut videtur assentiturque explicationis initium, dicit enim Proclus: τὸ πρὸς τὸ ἀΐδιον παράδειγμα γεγονός (sic) καλόν. τὸ πρὸς γενητὸν γεγονός, οὐ καλόν, in sequentibus tamen loci sententiam latius exponens, non ipsa Platonis verba repetens, minus accurate articulum et ante ἀΐδιον omittit et addit ante γενητόν. P. 70, 18 a f. ὅδε, et δέ post μή omittuntur, artic. ante γεγονός additur.

Lemma 18 p. 100 continet verba: παντὶ δὴ—δεδημιούργηται p. 29 A. Post ἀΐδιον comma est, post γεγονότων punctum, post proximum δὲ, quod plene scriptum est, comma, item post πρὸς τό; pro περιληπτόν omissa praepositione ληπτόν addito commate, deinde ταυτὰ et δεδημιούργεται, pro quo tamen vera forma in explicatione invenitur; sed sitne legendum περιληπτόν an ληπτόν inde ostendi non potest, neutra enim forma occurrit, typothetae autem incuria praepositionem esse omissam inde fortasse colligi potest, quod in περικοπῇ quum ληπτόν initio lineae positum sit, vocabulo φρονήσει quod praecedentis lineae ultimum est lineola quasi divisi in syllabas vocabuli signum additur. P. 109, 21 a f. et p. 231, 9 partes quaedam hujus loci afferuntur, sed ad constituendas lectiones inde nihil lucramur.

Lemma 19 p. 102 lin. 14 continet verba: τούτων δὲ — — τινὸς εἶναι p. 29 A et B. Post αὖ, ἀνάγκη, κόσμον commatis interpungitur; pro τόνδε τόν legitur τόν δὲ τόν.

Lemma 20 p. 102 lin. paenult. continet verba: μέγιστον — ἀρχήν p. 29 B neque recedit a Bekkeri lectione. Ceterum noli iis fidem habere qui Procli disputationem de h. l. vel elevant vel elevare cupere videntur.

Lemma 21 p. 103 lin. 26 continet verba: ὧδε οὖν—διοριστέον p. 29 B neque recedit a Bekkeri lectione; p. 81, 21 a f. memoriter hic locus affertur.

Lemma 22 p. 103 lin. 5 a f. continet verba: ὡς ἄρα—ὄντας p. 29 B. Comma post λόγους omittitur, deinde ἐξηγηταὶ, et συγγ. pro ξυγγ.; in explicatione p. 103 fin. sq. vitiose legitur δεῖ τὸν λόγον συγγενῆ τοῖς πράγμασιν εἶναι ὧν δὴ καὶ ἔξεστιν ἐξηγητής; conf. etiam prooem. commentarii p. 3, 28.

Lemma 23 p. 104 continet verba: τοῦ μὲν οὖν— —ἐλλείπειν p. 29 B. Post βεβαίου comma est, item post καταφανοῦς et post εἶναι, post ἀμεταπτ. interpunctum non est, deinde: καθόσον οἷόντε ἀνελέγκτους — λόγους — καὶ ἀνικήτους. τ. δὲ μηδ. ἐλλ. τὸ παράδειγμα. In explicatione, quae sane legi digna est,

Proclus exponit quod antea dictum esset ἀεὶ ὂν et κατὰ ταὐτὰ ἔχον id nunc dici μόνιμον et βέβαιον, quodque dictum esset νοήσει περιληπτόν id nunc dici μετὰ νοῦ καταφανές, quibus singulis singula τῶν λόγων epitheta respondere, dici ergo λόγους μονίμους ut nominis ταυτότητι eorum cum rebus similitudo ostendatur, »ἀμεταπτώτους δὲ ἵνα ἀπεικονίζωνται τὸ τοῦ πράγματος βέβαιον. ἀνελέγκτους δὲ ἵνα τὸ νοήσει μιμῶνται περιληπτὸν, καὶ ἐπιστημονικῶς προσέρχονται« (sic). Deinde ostendit qua causa commotus Plato ἑνικῶς dixerit μόνιμον καὶ βέβαιον καὶ νῷ καταφανές, πληθυντικῶς autem μονίμους λόγους καὶ ἀμεταπτώτους καὶ ἀνελέγκτους, et qua ratione, quum οἱ λόγοι simpliciter ἀνέλεγκτοι dici nequeant, additum sit καθόσον οἷόν τε. Verba τούτου δὲ—παράδειγμα explicata non sunt, sed finita antecedentium expositione sequens platonicorum verborum περικοπή ita additur ut lacunae suspicio fortasse justa sit. In tam accurata autem de epithetis τῶν λόγων disputatione Proclus neque, si καὶ ante καθόσον non habuisset, aliam esse epitheti ἀνελέγκτους quam reliquorum rationem dicere oblitus fuisset, praesertim cum in priore membro duo sint καί, neque de καὶ ἀνικήτους tacere potuisset, ut et habuisse Proclum illud καί et non habuisse καὶ ἀνικήτους mihi quidam persuasissimum sit; itaque hunc locum respiciens p. 105, 16 a f. περὶ μὲν τοῦ παραδείγματος, inquit, μονίμους καὶ ἀμεταστάτους, καὶ ἀνελέγκτους ἀποδιδόναι λόγους. Ceterum non dubito quin antiquior illius additamenti forma fuerit quae in lemmate est ἀνικήτους, non ἀκινήτους, idque ad explicandum ἀνελέγκτους additum est, sic certe Proclus eo vocabulo utitur (p. 104, 17 a f.); hinc etiam Ficini versio »et quam maxime fieri potest, *inexpugnabiles* rationes esse oportet« fluxisse credenda est. Verborum τούτου δὲ—παράδειγμα sententia haec est: οἱ λόγοι quadam ratione sunt ἀνέλεγκτοι, sed τὸ παράδειγμα omnino planeque ἀνέλεγκτον est. De codicum lectionibus difficili hoc loco propterea tacui, quod Platonis verba tantum modo a Proclo servata sunt.

Lemma 24 p. 104 continet verba: τοὺς δὲ—εἰκότας p. 29 B, neque recedit a Bekkeri lectione.

Lemma 25 p. 105 continet verba: ἀνὰ λόγον τε—ἀλήθεια p. 29 B et C. Statim ab initio legitur ἀνάλογόν τε ἐκείνοις, post ὄντας punctum est, pro ὅ τί περ legitur: ὅτι δ, πίστιν accentus signo caret. Initium explicationis (verba sunt: πρότερον μὲν, δύο ἡγούμενα ἐποίησε, νοητὸν καὶ γενητὸν ἢ παράδειγμα καὶ

εἰκόνα, καὶ δύο τούτοις ἀνάλογον (sic) *ἐλάμβανεν, ἐπιστήμην καὶ εἰκοτολογίαν, ἢ ἀλήθειαν καὶ πίστιν*) dativum quidem illum *ἐκείνοις* sane firmat, sed *ἀνάλογον* aperte vitiosum est, aut enim in duo vocabula distrahendum est, aut, quo lemma fortasse ducit, numerus corrigendus. Verbis *ὅτι ὃ* ea efficitur sententiarum cohaerentia quam alii supervacaneam judicarunt, alii illato *γάρ* restituere voluerunt.

Consilium edendae totius ejus partis Timaei Platonici ad quam Procli commentarius pertinet, quum ob causas quasdam satis graves vel omnino abjiciendum vel hoc certe tempore omittendum visum esset, oblata hac scholasticae scriptionis occasione quae Proclei commentarii et ad restituenda et ad explicanda Platonis verba esse posset utilitas majore exemplorum copia eram demonstraturus; sed continua vetusti illius et vel magnitudine sua incommodi libri lectio intentaque minutissimarum rerum contemplatio oculorum aciem adeo mihi hebetavit, ut jam multa fortasse non animadverterim quae enotare volui, itaque acquiescendum in his paucis est. Ceterum latina lingua haec scribo, non quod eam germanicae praeferendam existimem, nec quod gloriam inde aliquam consequi me posse sperem, vel si possem talis ego sim gloriae cupidus, quae vel ignorata patrii sermonis vi atque dignitate vel sublato dissimulatove ejus amore paritur; sed ob causas longe alias.